

Caput IV

De cultura et progressu

1. (Cultura in mundo hodierno).

Inter characteres huius nostrae aetatis maximi momenti est evolutio et diffusio in dies crescens scientiarum praesertim de re mathematica, physica, biologica, psychologica, anthropologica, sociologica et artium technicarum quae stricte cum his scientiis connectuntur.

Sed adhuc maioris momenti est quod homines cuiusvis coetus et nationis magis magisque consci fiunt se capaces et dignos esse sua ipsorum reflexione et libertate suam culturam evolvendi, sive ut melius participare possint bonis oeconomicis et vitae communitatis, sive ut eorum personalitas plenius explicetur.

Nationes autem antiquarum "culturarum" et eae quae ad plenitudinem historiae nunc temporis accedunt, ex una parte suas culturas traditionales profundius detegunt et consciae fiunt sui momenti in historia humana, alia ex parte inter se commercium ineunt, et praesertim, saepe improviso et rapide, ad culturam scientificam et technicam accedunt. Quod idem evenit in ambitu singularum nationum de quibusdam coetibus qui in vitam oeconomicam et publicam suae nationis ingrediuntur.

Haec evolutio in omnibus formis vitae apparet. Notandi tamen praecipue sunt ut expressio et ut causa notabiliter efficiens situationis huius temporis novi modi artium quas pulchras appellant et modi ludorum in stadiis.

2. (Ecclesia et cultura).

Ecclesia autem non potest non agnoscere valorem humanae culturae.

Deus enim ipse indidit in homine hanc capacitatem et exigentiam suum animum colendi, ut multiplicia Dei vestigia contemplari possit sive in natura, sive in semetipso et in suis fratribus, ut natura utatur et eam transformet ad suum bonum et ad maiorem Dei gloriam, ut cum aliis hominibus bona communicet in vita communitatis; ipsa autem cultura, sapientia humana illuminata, revelationi Verbi Dei aperitur.

Gaudet proinde Ecclesia de progressu culturae nostris temporibus.

At simul, et iisdem de causis, ipsa clare videt et praecavere intendit pericula quaedam in actuali situatione: periculum scilicet culturae in se clausae et a sapientia et a religione alienae; periculum culturae solummodo ad praxim ordinatae et valoris contemplationis oblitae; periculum hiatus inter culturam quae adhaereat valoribus scientificis et technicis, et profundiorum culturam humanam et rectarum traditionum nationum.

Ipsa Ecclesia eget cultura humana. Proinde suis propriis mediis culturam stimulat et promovet, propter bonum hominis in sua persona et in societate, propter Deum.

3. (Ecclesia et culturae diversae). Sancta Synodus aperte....

.....
tere debeat, ita ut divinum revelationis et gratiae donum multiplici populorum attemperetur indoli, psychologiae, mori, culturae, gustui, salvis valore universalis veritatis atque integritate doctrinae fidei et bonorum morum. Non enim Evangelium Christi in destructionem sed

in aedificationem praedicandum est, ita nempe ut errorem ac malum removeat, sed elementa bona cuiuscumque populi tueatur ac integret; divitiis supernaturalibus inseris. Ita varietates humanae naturae, quae ad ordinem creationis pertinet, in ordine christiano assumuntur et consecrantur.

4. (Extensio culturae hodiernae). Scit etiam Sacra Synodus in mundo hodierno media culturae praesertim sub influxu scientiarum et technicarum, magis ac magis extendi. Non iam apparet cultura et media ad eam acquirendam ut alicuius partis societatis aut aliquarum nationum privilegium, sed ius accedendi ad eam ut pertinens ad personae perfectionem ab omnibus iam agnoscuntur. Ex altera parte per instrumenta communicationis cultura magis diffundi potest, ita ut responsabilitas promovendi eam ad hominum personalem educationem urgens appareat. Per hanc diffusionem etiam aliqua universalis cultura constituitur, quae foveat humani generis fraternitate, quin tamen divitiis variarum culturarum obstare debeat. Hac de causa, ut persona humana, quae secundum voluntatem Dei in hoc mundo hodierno vivere et operari debet, per hunc mundum suae vocationi divinae respondeat et ut ipse mundus ad Deum referatur et ordinetur, Sacra Synodus principia quae ad progressum et culturam se referunt speciali modo ostendere cupit.
5. (Cultura et persona). Numquam enim omittendum est ad plenam vocationem naturalem et supernaturalem personae humanae tamquam ad normam et finem omnia quae in mundo sunt referenda esse. Haec vocatio amplectitur varios aspectus vitae humanae in sua complexitate et unitate, praesertim ~~quae~~ quoad formationem iudicii, sensum moralem, rectos affectus cordis, spiritualitatem. Hoc modo attingitur vera sapientia ubi omnia bona vitae humanae ordinantur ad missionem personae. Unde magni momenti est, non progressum scientificum hodiernum despiceret, sed simul eodem modo culturae animae et spiritus valde intendere, ita ut egregius progressus culturae hodiernae verò fini personarum inserviat.
6. (Cultura et gloria Dei). Nihil mutatur
7. (Collatio Ecclesiae ad vitam culturalem). Variis de causis in cursu temporum saepe factum est ut separatio et etiam oppositio inter culturam et Ecclesiam, inter scientiam et fidem iniicerentur, quae separatio valde noxia est et culturae et Ecclesiae. Quod Ecclesia mundo culturae offerre potest et debet, in eo constat, quod visionem integram praebet hominis et humanae societatis necnon creationis ad glorificationem destinatae et hominum muneris in hac creatione. Et ita spiritu Christi mundum culturae animet. Sic adiuvabit, ut vere admirabiles in his saeptis progressus harmoniam in homine et personae humanae vitam promoveant, non destruant; ut ordine recto valorum servato ad bonum commune totius populi immo totius generis humani et ad formandas vere concinentes et totum mundum amplectentes culturas revera conferant.
8. (Collatio culturae ad vitam Ecclesiae). Ex altera parte etiam cultura et varia culturae saepta functionem vitalem pro Ecclesia exercere possunt. Hominem naturaliter

ad vitam spiritualem disponere, vigorem Ecclesiae in cordibus augere, communicationem veram inter vitam Ecclesiae et modos se gerendi et exprimendi formare possunt, quae omnia etiam quoad apostolatam Ecclesiae maximi momenti sunt. Influxus enim Ecclesiae in homines singulos ac populos maxime ex eo dependet, num in culturam cuiusdam temporis vel populi sese inserere possit. Speciatim necesse est proprii ingenii artis in quodam tempore magnam rationem habere. Quinimmo tenendum est genuinam culturam humanam et varia eius saepa fundamentum esse validum ad aedificium sacrarum disciplinarum instruendum et ad veritates fidei rationabiliter excipiendas et illustrandas.

9. (Cura Ecclesiae de culturae saeptis). Propterea omnes hi.....

.....

.....

autonomia. Huic communicationi peropportuna erunt commercia inter exultos catholicos eorumque consuetudo cum variis gradibus sacrae Hierarchiae, qui ad suum ministerium in hac re praestandum bene informentur.

Peritia

Centros de prod. de cultura. Universidades.

Los nuevas generaciones que experimentan el choque de los cambios culturales.

PATRIMONIO UC